



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio VI. De habitu, & subiecto Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

sufficit considerare peccatum, propter præcisè opposi-
tionem regulæ rationis in ordine ad conuictum huma-
num; quia illud morium non conuertit hominem
ad Deum, sed ad regulam rationis, & ad conuictum
humanum; quare per hunc dolorem nullo modo
tollitur auersio à Deo posita per peccatum. Oporteret
ergo in peccato considerare aliquam oppositionem
cum Deo, v.g. cum reuerentia, vel cum obedientia
debita Deo, aut aliud simile, vt illa attritio, quæ non
est ex timore pænæ, sed ex turpitudine peccati, suf-
ficiat cum sacramento. Nec obstat Tridentinum, quia
ibi non ponitur pro motiua attritionis quæcunque
turpitudine moralis, sed *turpitudine peccati* peccatum
autem vt peccatum dicit oppositionem cum Deo,
nam vt suppono ex materia de peccatis, licet malitia
moralis possit desumi per oppositionem ad regulam
rationis; malitia tamen peccati vt peccatum est, non
sumitur nisi in ordine ad Deum; ad attritionem ergo
nisi sit propter timorem pænæ requiritur, quod sit
dolor de peccato, propter est contra Deum, vel vt
inobedientia, vel vt irreuerentia, vel vt ingratitudo,
vel alio modo; nam hæc omnia fundant turpitudi-
nem peccati, vt peccatum est, quare qui sub hac
ratione detestatur peccatum, iam mouetur ab aliqua
excellencia Dei, cuius intuitu ad ipsum conuertitur,
& ipsum præfert creaturæ, quam prius amauerat
pliusquam Deum.

144. Alia conditio veræ attritionis est, quod includat
propositum siue formale, siue virtuale peccandi
de cætero, quod explicat Tridentinum dicens, attri-
tionem sufficere cum sacramento si voluntatem pec-
candi excludat. Videatur Suarez, *sect. 1. n. 5.* Dices,
non videtur posse ex moriua attritionis concipi
propositum vniuersale non peccandi, quia ex timo-
re pænæ non potest homo velle non peccare etiam
eo casu, quo non esset pænæ; non ergo habet homo
voluntatem non peccandi vniuersalem, sed solum
quando est pænæ. Respondeo, ad verum, & absolu-
tum propositum non exigi, quod fiat illa conditio-
nalis; etiam si non esset pænæ non peccarem: sufficit vo-
luntas vniuersalis, quæ se extendat ad omnes casus,
qui possibiles apprehenduntur in hoc rerum ordi-
ne, quo Deus voluit penam præscribere pro om-
nibus peccatis: dum tamen aliunde non sit etiam
voluntas conditionalis opposita, qua homo diceret,
si non esset pænæ, peccarem. hæc enim esset mala, &
opponeretur cum vera attritione, & proposito non
peccandi. Ratio est, quia ad hoc quod aliqua volun-
tas sit simpliciter, & absolute efficax nõ est necessaria
illa efficacia conditionalis in ordine ad casus fictos,
sed sufficit efficacia in ordine ad omnes casus ficos,
qui apprehenduntur possibiles in hoc ordine
rerum: illa ergo erit voluntas efficax vitandi pecca-
tum, qua homo vult illud vitare, quoties propter ip-
sam potest incurrere penam æternam. De hoc ta-
men dicemus *infra disput. 14.*

145. Denique ex dictis inferitur breuiter decisio illius
questionis vulgaris, an attritio fieri possit perfecta
contritio? in qua certum est posse hominem fieri
ex attrito contritum: certum ite videtur, non pos-
se eundem actum attritionis contritiue fieri actum
contritionis: quia isti duo actus differunt essentia-
liter inter se: certum item est, attritionem posse
informari gratia habituali data per sacramentum,
& sic illa, quæ antea erat attritio informis potest
esse postea attritio formata: denique certum videtur,
non semper virtute sacramenti fieri hominem
ex attrito contritum per veram, & perfectam con-
tritionem: nam potest pœnitens dolere adhuc ex
pœnito moriua pœnarum sine actuali dilectione
Dei super omnia; nec in se experitur in instanti ab-
solutionis illam mutationem motiui. Ex quibus

consequens etiam est, attritionem non fieri contri-
tionem etiam in sacramento, nisi quoad æquivalen-
tiam: hoc est accedente sacramento, attritionem
æquivalere contritioni quoad hoc, quod sit dispositio
ad gratiam, & vltima ex parte doloris: atque in
hoc sensu debet intelligi, hominem in sacramento
fieri ex attrito contritum: hoc est, quoad effectum;
vel etiam fieri contritum habitualiter, quatenus re-
cipit habitum charitatis, qui est principium habitua-
le contritionis perfectæ. Videatur Suarez *ubi supra*
sect. 3. & infra disput. 20. sect. 1. & Vasquez in præsentis
quest. 86. art. 1. dub. 1.

DISPUTATIO VI.

De habitu, & subiecto Pœnitentiæ.



1. Væ de habitu pœnitentiæ possent
disputari, partim dicta sunt in supe-
rioribus; partim communia sunt om-
nibus virtutibus, & ideo non pertinet
ad hunc locum, sed ad materiam de
virtutibus infusis. In primis an sit virtus theolo-
gica, vel moralis, vidimus *supra disput. 1. sect. 4.* An ve-
rò sit habitus acquisitus, vel infusus, & an possit dari
aliquis habitus pœnitentiæ naturalis circa idem
obiectum; quæstio generalis est de omnibus virtu-
tibus moralibus infusis: in qua suppono partem af-
firmatiuam in vtroque dubio, de quo in tractatu de
fide, spe, & charitate: vbi de distinctione actuum su-
pernaturalium ab actibus naturalibus.

2. Quod attinet ad subiectum, eodem etiam modo
sentendum est, ac de aliis habitibus voluntatis, na n
si ij in substantia animæ recipiantur, vt multi vo-
lunt, idem de habitu pœnitentiæ dicendum erit; si
verò ceteri in voluntate distincta à substantia animæ
sint, ita erit in voluntate distincta à substantia animæ
An fuerit in
Angelis, in
Christo B.
Virgine, &
Adamo

3. In hac quæstione (quia non est magni momenti)
omissis variis sententiis, de quibus videri potest P.
Vasquez *in præsentis quest. 85. art. 4. dub. 2.* ipse docet
habitum infusum pœnitentiæ non fuisse in Christo
Domino, neque in B. Virgine, neque in Adamo in
statu innocentie, neque dari etiam in Beatiss saltem
qui nunquā peccarunt, quia in his omnibus fuisset
omnino superfluum; cum nunquam posset elicere
actum detestationis absolutæ: concedit verò dari
hunc habitum in pueris, & innocentibus, & in
Angelis in statu vitæ, quia his omnibus sicut possibi-
le esset peccare venialiter, ita possibile erat pœnite-
re de peccato saltem veniali.

4. Nostram sententiam breuiter declarem. In pri-
mis suppositis quæ supra de obiecto formali pœni-
tentiæ dicta sunt, quod scilicet obiectum formale
ipsius sit pax, & æqualitas cum Deo, seu non habere
illum offensum; consequenter dicendum videtur
aliquos actus qui in nobis fiunt ab habitu pœni-
tentiæ, potuisse esse in Christo Domino, in B. Virgi-
ne, in Adamo, in Beatiss in innocentibus, & in An-
gelis: ij enim omnes potuerunt habere odium effi-
cax diuinæ offensæ, & propositum efficax fugiendi
peccatum propter malitiam offensæ, quos actus eli-
cit noster habitus pœnitentiæ; possent etiam habere
gaudium de carentia peccati propter bonum pacis
cum Deo, qui etiam actus sit à nostro habitu pœni-
tentiæ; potuerunt denique habere actus conditiona-
tos circa peccatū dicendo, si ego peccassem, detes-
taretur peccatum, & curare resarcire pacem cum Deo;

E 4 qui

Aligui actus
qui in nobis
fiunt ab ha-
bitu Pœni-
tentiæ potue-
re esse in
Christo, B.
Virgine, Ada-
mo, Beatiss, in-
nocentibus &
Angelis.

qui actus conditionati, cum sint boni, & meritorij, possunt utique esse supernaturales, & per consequens ab aliquo habitu infusus; in nobis autem non sunt ab alio, quam ab habitu pœnitentiæ quando respiciunt formaliter malitiam offensæ diuinæ, ergo fatendum est, posse in iis omnibus aliquos actus reperiri similes iis, quos elicit in nobis habitus pœnitentiæ.

6. Restat tamen adhuc difficultas; nã ad eos actus debuerit poni habitus eiusdẽ rationis cum nostro, an alius diuersus, qui non sit habitus pœnitentiæ? Ratio dubitandi est, quia in iis subiectis non erat possibilis actus absolutus detestationis peccati; ergo non debuit dari habitus infusus ad eum actum, sed ad alios qui eis possibiles erant; non enim videtur repugnare dari habitum infusum, qui non possit elicere actum absolutum detestationis, licet possit elicere odium efficax peccati, & alios actus supra enumeratos; si autem possibilis est talis habitus, videtur omnino dandus iis subiectis, quibus non est possibilis actus absolutus detestationis quod verò sit possibilis eiusmodi habitus, videtur probari exemplo voluntatis: nam possibilis est voluntas quæ possit habere odium efficax peccati, & non possit habere detestationem, seu pœnitentiam illius: talis quippe est voluntas diuina: cur non poterit dari habitus infusus, qui ex natura sua supponat impeccabilitatem in subiecto, & possit elicere odium efficax peccati, non tamen pœnitentiam, vel detestationem illius? cum præsertim habitus infusus sit ad modum potentiarum, & per consequens possimus in habitu considerare habitudinem ad suos actus, sicut in ipsis potentiis.

6. Adhuc tamen dicendum videtur, in omnibus subiectis supra enumeratis (exceptis Angelis, de quibus est peculiaris difficultas) datum fuisse habitum infusum eiusdem rationis ac nostrum, licet in aliquibus eorum non haberet denominationem pœnitentiæ, eo quod non posset ibi habere actum absolutum pœnitentiæ, à quo habet eam denominationem. Et quidem de Adamo affirmat sanctus Thomas 1. par. quest. 95. art. 3. & de innocentibus & beatis in 4. distinct. 14. q. 1. art. 3. quest. in c. 2. de B. Virgine idem docet Palud. ibi q. 4. Sor. q. 2. Palat q. 6. Ledesma 1. par. 4. q. 26. art. 3. Valentia q. 1. punit. 1. Suar. disp. 7. sect. 1. & alij. De Christo verò idem docet Suarez ubi supra, & tom. 1. in 3. par. disp. 19. & Coninch. in presenti disp. 1. dub. 1.

7. Omnis autem aliis rationibus, probari potest de iis omnibus in primis hoc argumento: ubi non repugnat ex natura rei actus pœnitentiæ absolutæ; licet hic & nunc ratione alicuius circumstantiæ repugnet, non repugnat habitus infusus elicitiuus illius actus; habitus enim non respiciunt, quid possit hoc subiectum facere attentis omnibus circumstantiis, sed quid possit simpliciter facere: in iis autem omnibus, quantum est ex parte subiecti, non repugnabat actus detestationis absolutæ, licet repugnaret hic & nunc ratione alicuius circumstantiæ, ergo in iis omnibus potuit esse habitus elicitiuus, quantum erat de se illius detestationis absolutæ. Maior videtur manifesta; quia quando baptizatur cæcus, vel mutus, non minus datur ei habitus infusus ad coercendam linguam, vel oculos, quam si mutus, vel cæcus non esset; attenditur enim ad id, quod subiectum de se posset facere; licet hic & nunc ob aliquam circumstantiam non possit: Minor verò probatur discurrendo per singulos; & quidem innocentes, licet nondum peccauerint, possunt tamen peccare: ergo possunt pœnitere. Dices, eo ipso quod peccent auferetur ab eis habitus infusus pœnitentiæ; non ergo poterit illis deferri ad pœnitendum: sed contra quia possunt peccare veniali-

ter, & tunc non perdent habitum infusum, ac per consequens poterit eis deferri ad pœnitendum de venialibus. Item, licet non peccent, possunt tamen aliquando apprehendere se peccasse ex falsa estimatione; quo casu, licet non possint recipere verum sacramentum Pœnitentiæ (ad hoc enim requiritur pro materia peccatum verum) possunt tamen exercere verum actum pœnitentiæ interioris: nam ad eiusmodi actus virtutum etiam infusarum sufficit obiectum apparens, ut quado qui vult subleuare miseriam pauperis; quam putat esse veram miseriam, cum solum sit apparens, & ficta, & sic de aliis, poterit ergo similiter habere verum actum pœnitentiæ interioris circa peccatum apparens, quod totum potest fieri ante remissionem gratiæ.

Deinde de Adamo probatur hoc ipsum, quia licet de facto in statu innocentie nondum peccauerat, sed tamen quantum est ex parte subiecti, non repugnabat illi peccasse; ergo tota repugnantia pœnitendi non erat ex parte subiecti, sed ex circumstantia extrinseca, eo quod non peccasset: idem enim subiectum esse posset, & cum eisdem habitibus, licet ante peccasset, quod sufficit, ut actus pœnitentiæ esset illi aliquo modo possibilis, licet non ex suppositione, quod non peccauerat, quare sicut habebat habitum charitatis, ex vi cuius posset etiam, quantum erat ex parte habitus elicere contritionem de peccato præterito, quia hoc non repugnabat illi subiecto, quantum erat ex se: ita poterat habere habitum pœnitentiæ ob eandem rationem. Quod idem de Beatis à fortiori procedit, etiam si nunquam peccauerint; quia adhuc non repugnat illis peccasse & ad hoc ut habitus non sit frustra, satis est quod possit habere suum actum aliqua potentia antecedenti, licet non proxima ob defectum alicuius conditionis.

Ratio autem à priori est, quod gratia habitus illis, quæ est prima radix horum habituum infusorum eiusdem rationis erat in Adamo ante peccatum, & post peccatum: ergo idem habitus debebant ab ea in utroque statu emanare: sicut ab essentia animæ dimanabat voluntas eiusdem rationis in utroque statu elicitiua, quantum erat ex se, actus pœnitentiæ, licet ante peccatum non poterat per accidens illum elicere: ita etiam habitus infusus; qui comparatur ad gratiam, sicut potentia ad animam, debebant manare eodem modo ante peccatum, & post peccatum: quia quod ille homo peccasset prius, vel non peccasset, erat circumstantia valde extrinseca gratiæ.

Hinc infero, idem dicendum esse de Christo Domino; nam licet in ipso habitus ille non haberet denominationem pœnitentiæ, ut dixi, propter impeccabilitatem intrinsecam subiecti: ceterum non repugnabat illi eiusmodi actus, neque ex parte humanitatis, neque etiam ex parte suppositi secundum se considerati, quia non repugnabat, quod assumpta fuisset humanitas ad suppositum Verbi post commissum peccatum; & tunc ille homo Deus posset elicere perfectam detestationem illius peccati commissi prius ab illa humanitate: non ergo repugnabat, per se loquendo, actus perfectæ pœnitentiæ cum vnione hypostatica magis quam memoria peccati, de facto autem repugnabat, quatenus non supponebatur peccasse humanitas illa ante vnionem ad Verbum. Ex quo denique fit à fortiori potuisse dari hunc habitum in B. Virgine, in qua impotentia ad peccandum erat magis extrinseca, quam in Christo.

Obiicit forsan aliquis contra hanc rationem, quia in Beatis non datur habitus fidei eo præcise, quod ratione status non potest habere actum fidei, licet quantum ex parte subiecti, hoc non

non repugnet, ergo eodem modo non debet boni in Christo habitus poenitentiae, quia licet ex parte subiecti posset habere suum actum; tamen hic & nunc non posset illum habere. Respondeo negando pacitatem; nam in Beatis datur status intrinsecus repugnans cum actu fidei, scilicet beatitudo in Christo autem non datur status intrinsecus repugnans cum detestatione peccati, quia unio hypostatica, ut vidimus, posset bene esse cum eiusmodi actu, si praecessisset peccatum in illa natura: quod autem non praecesserit, est per accidens. Hinc fit unio nem non expellere habitum poenitentiae; lumen autem gloriae expellere habitum fidei, quia cum lumine nunquam est possibilis actus fidei, ut suppono.

13. Adde, licet cum unione hypostatica, vel impecabilitate beatissimae Virginis, &c. non esset composibilis unquam actus detestationis, adhuc tamen sufficeret, illum actum non repugnare subiecto secundum se, & aliunde posse tunc deferre habitum illum ad alios actus, ut diceremus illum habitum dari in Christo, & aliis subiectis enumeratis; non enim requiritur ad conseruationem habitus infusi, quod possit elicere omnes suos actus; nam habitus charitatis non potest elicere in patria actum contritionis, seu dolere de peccatis; & tamen manet habitus propter alios actus quos ibi potest habere, & de habitu spei idem docent quam plures: & de habitu poenitentiae fatendum etiam nobis est, non posse in patria habere actum doloris: sed tamen, quia potest habere alios actus, (ut dixi) potest conseruari etiam cum visione beata. In quo etiam desert ab habitu fidei qui in patria esset omnino inutilis, & ideo omnino deperditur.

14. Dices, si in patria non est possibilis actus doloris: connaturalius videtur, quod non maneat habitus elicitiuus illius, sed quod detur alius habitus, qui possit ex natura sua elicere alios actus, qui ibi sunt possibiles, & qui ex natura sua non possit elicere actum doloris. Respondeo, hoc probare non manere in patria vllum habitum infusum voluntatis ex iis qui sunt in via; nam ij omnes possunt elicere in via actum doloris circa proprium obiectum, quod non possunt elicere in gratia, ut constat descurrendo per singulos; quare deberet ij omnes in patria commutari in alios habitus non elicitiuos doloris, quod nemo concedet. Ratio vero à priori ea potest esse, quod ij habitus sunt passionis ortae ex gratia habituali, ut dicebam: sufficit autem ad hoc, quod detur talis habitus cum gratia, si ipsi gratiae secundum se non repugnet esse principium illius actus doloris; posita enim semel possibilitate doloris supernaturalis, datur habitus ad illum, qui habitus non debet variari quoties actus non potest fieri, sicut in naturalibus, licet voluntas non possit tunc elicere aliquos actus, quos antea poterat (sive quia iam illos habuit, & non potest iterum eos reproducere; sive quia non potest proponi iterum idem obiectum, verbi gratia ad gaudium de pueritia praesenti) non tamen ideo debet mutari potentia voluntatis in aliam, quae non sit elicitiua illius actus: sufficit enim si huic homini secundum se fuit aliquando possibilis ille actus, ut debeat ab anima dimanare potentia ad illum, quae potentia semper perseueret in homine. Sic etiam de habitibus infusis dicendum est qui sunt quasi potentiae gratiae habituales.

15. Urgebis tamen adhuc; quia habitus fidei est etiam quasi passio orta ex gratia: & tamen quia eius actus non est iam possibilis in patria, tollitur habitus, etiam perseuerante gratia: ergo quod habitus dimanent

ex gratia, non sufficit, ut perseuerent, quando non est possibilis actus. Respondeo, habitum fidei futurum omnino inutilem in patria, quia iam ad nullum prorsus actum deferretur, ut suppono ex materia de fide. Ideo expellitur adueniente visione, quia frustra est potentia, quae non potest reduci ad vllum actum: quae ratio non procedit in aliis habitibus, imò nec fortitan in habitu pia affectionis, qui datur in voluntate, sed de hoc alias.

Difficilius est quod attinet ad Angelos, an in via habuerint habitum poenitentiae. Sanè qui dicunt, Angelum esse inflexibilis naturae, consequenter docent, non habuisse habitum elicitiuum actus retractionis: qui verò negant illam inflexibilitatem, consequenter illud admittunt in Angelis, sicut in aliis: quae autem sententia sit verior pertinet ad materiam de Angelis.

17. Restat vnum dubium, an habitus infusus poenitentiae detur in peccatore in statu peccati? Et quidem sententia communis Theologorum supponit, omnes virtutes morales infusas tolli simul cum habitu charitatis quocumque peccato mortali, quod licet efficaci ratione non satis ostendatur, ut fatetur P. Valquez 1. tom. in 1.2. disp. 88. num. 3. sed tamen eadem communi sententia supposita, dicendum omnino est, habitum infusum poenitentiae non manere in peccatore. Verum non est facile assignare rationem, cur magis maneat in peccatore habitus infusus spei, quam habitus poenitentiae: nam sicut homo in statu peccati, adhuc potest habere actus spei; ita etiam potest, & habet saepe actus poenitentiae, hi enim quando non sunt ex motu charitatis, possunt esse cum statu peccati: item si relinquitur in peccatore habitus spei, ut homo per spem veniae, & salutis se disponat ad iustificationem; ita videtur debuisse remanere habitus poenitentiae, ut homo per poenitentiam, & dolorem se disponeret ad iustificationem: cur ergo magis relinquitur spes quam poenitentia?

18. Dici adhuc potest, non ita requiri virtutem poenitentiae, sicut spem, ut homo resurgat ex peccato: nam licet homo non poeniteat ex speciali motu virtutis specialis poenitentiae, de qua loquimur, potest poenitere ex aliis multis motibus, quare virtus specialis poenitentiae non est necessaria ad salutem: at verò spes est omnino necessaria: non enim potest homo disponi regulariter ad iustificationem: imò nec aliquid arduum, & diuturnum aggredi in ordine ad salutem sine spe veniae, & salutis, ut latè explicui in materia de fide; ideo non erunt in praesenti repetenda. Sufficiat indicasse, cur magis debuerit relinqui in peccatore habitus spei quam poenitentiae infusae.

DISPUTATIO VII.

De necessitate poenitentiae, ad remissionem peccati mortalis.

SECT. I. Praemittitur, quid sit peccatum habituale ex aliorum sententia.

SECT. II. Refertur sententia docens priuationem gratiae esse peccatum habituale.

SECT. III. Impugnantur solutiones aliquorum ad argumentum supra adductum ex peccato veniali.

SECTIO IV. Refertur, & impugnatur alia sententia.

SECT. V. Explicatur vera sententia de essentia peccati habitualis.

SECT. VI. Proponuntur, & dissoluntur aliae difficultates contra doctrinam praecedentem.

SECT. VII